



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Triapostolatus Septemtrionis**

**Caesar, Philipp**

**Coloniæ Agrippinæ, 1642**

15. De quatuor, in alijs, post mortem eius factis Miraculis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43650**

## CAPVT IX.

*De quatuor in alijs post mortem  
eius factis miraculis.*

**I**gitur fœmina quædam de Osleueshu-  
sun, Tida nomine, per septem annos  
cæcata, dum quodam Sabbatho dominam  
suam peteret, quò ad Ecclesiam procede-  
rent; illa que responderet, sibi tunc non li-  
cere, sed in crastinum manè die Dominico  
se simul ituras: illa statim maturè diluculo  
surgens suam acceleravit præire dominam,  
atque ad Ecclesiam quâdam deducente se  
aniculâ gressu properare veloci. Quò cum  
peruenisset, ibiq; orationi dedita solo pro-  
strata incumberet, subitò diuini muneris  
dono lumen recepit amissum. Cumq; post  
eam veniens domina ipsius Basilicæ pene-  
traret intima; eamque ex ipsa loquela præ-  
sentem adesse cognosceret, repentè ad il-  
lam accurrit gaudens, & dicens: Mea do-  
mina desideratissima, Gratias Deo omni-  
potenti & laudes refero, quia meritis Beati  
Vvillehadi te oculis meis videre prome-  
rui. Quod factum illa ammirata, cunctis ibi  
astantibus confestim enarrauit, & quòd ve-  
rè illuminata fuerit, multorum testimonio  
approbante patefecit. Sicque hæc virtus in  
populo ad clarificationem Dei publicè  
manifestata est.

II. Rursus de pago Emisga fœmina quæ-  
dam



dam nomine VVimod nouem annis cæcitate perpeffa, cum quodam die vespertino tempore ad Ecclesiam conueniret prædictam, ibique factâ oratione post vesperras hospitium vbi erat mansura repeteret, subsequenti nocte ei quod ex amisso lumine salutis ibi esset remedium perceptura, in visu est denunciatum. Cui rei ipsa ex voto vtrunque credula Ecclesiam statim adire studuit, ibique merita Sancti toto inuocans corde, diuinâ adiuta gratiâ, luminis quod amiserat recepit officium. Quod etiam ad gloriam Dei multorum attestatione continuò patefactum claruit.

III. Post hæc autem die Natiuitatis S. Iohannis Baptistæ in conuentu populû maximo, septem languidi à diuersis sunt infirmaribus liberati. Quod quia per singula enarrare non necessarium duximus: duo tamen eorum, quæ peracta sunt miraculorum singulatim perstrinximus; quò ex his etiam cætera valeant intellectu perpendi. Nempe vna ex ipsis fœmina quædam fuit, ex villa in proximo sita Luidvvinenshusun, nomine Simod, quæ tribus aut eo amplius mensibus oculorum priuata lumine, ibidem nutu Dei gratiam pristinae visionis recepit. Altera quoque de villa ipsius loci, videlicet Brema, exitit, morbo contracta fœmina, quæ in infantia dum fortuitò ignis adustione pede cremaretur, nullâ



nullâ subueniente medicinâ articuli sursum versi penè ex toto pedem ei subuerterant. Quæ multis annis eandem perpessa molestiam, præfato die cunctis astantibus pedis & articulorum extensio sanitatem promeruit.

IV. Porrò ex Laris de villa Sluttra vocabulo, quædam scæmina fuit per multos annos incuruata, quæ non aliter ambulare nisi manibus reptando poterat, nec omnia sursum respicere: ad postremû quoque ita morbo perurgente debilitata fuerat, vt non, nisi portaretur, aliquid deuenire potuisset. Quæ etiam habebat filiam, quam ex ipsa infantia natiuo lumine cæcitas obscurauerat. Hanc itaque, auditâ miraculorum virtute, simul cum filia propinqui vel vicini ad ianuam Bremensis detulerunt Ecclesiæ. Quæ inibi posita, cùm fide aliorum subuecta aduenisset, miseratione diuinâ & de filiæ illuminatione gaudere promeruit, & semetipsam gestans ac sursum erecta, proprijs gressibus notas repedaui ad sedes.

## CAPVT XVI.

*Alia quinque S. Vvillehadi  
miracula.*

V. **I**tem ex Laris de villa Falathorp, duæ scæminæ, vna contracta, & altera orba, cùm ad eundem locum deductæ fuisset, diuis